



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

III. An Concursus Dei in actu secundo ad effectus causarum secundarum
sit immediatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

operatio virtutis increata, & creatæ, potentis operari, à qua denominatur actu operans.

RESOLUTIO III.

VI. **D**ico 3^o. concursus Dei cum creaturis in actu secundo est duplex, unus immediatus, alter medius. ita omnes Theologi & Philosophi.

Immediatus est actio, quâ Deus immediate & proximè attingit & operatur effectum; medius verò, quâ remotè tantum, & mediante actione alterius causæ à se non manante attingit & operatur effectum; unde parens meus immediate, Adam mediâtè, ad generationem meam concurrat.

D V B I V M II.

Quomodo Concursus; vel potius cursus Dei cum Creaturis in actu primo, proximè preparatur, aut creaturæ applicetur.

VII. **N**odus hic (inquit P. Comptonus) semper visus est omnibus soluti difficillimus, qui proinde authores in varias traxit sententias, quas fufius examinabimus in Theologia; ut tamen, quid mihi vero similis, aperiam, sit

RESOLUTIO.

VIII. **D**ico, Concursus Dei cum creaturis in actu primo proximo, aliud non est, quàm Deus, sive Dei omnipotentia, & creatura, in eo statu à Deo liberè constituta, in quo proximè possit operari.

IX. Probatur, quia hoc ipso quòd Deus creaturam in eo statu liberè constituit, in quo proximè possit operari, id ex hoc motivo facit, ut sit creaturæ omnipotentia ad proximè operandum applicata; atqui ut sic concursus suum in actu primo proximo creaturæ sufficientissimè applicat, haud secus quàm amorem suum creaturæ sufficientissimè applicet, si gratiam in creatura sub hoc motivo ut sit creatura à se amata, producat, ergo, &c.

X. Confirmatur, hic modus explicandi Dei cum creaturis concursus in actu primo proximo est facillimus & clarissimus; alii autem difficiles & obsecuti, ergo, &c. Probatur assumptum pro 2^a parte: nonnulli eum hoc modo explicant, ut Deus dicat, *nolo impedire omnipotentiam meam quo minus producat hunc actum, &c.* sed (præterquam quòd illi summam difficultatem patiantur, ut ostendant per quid nolitio ista positiva Dei, à volitione positiva quâ id vult impedire, ut positiva distinguatur, vel etiam, quòd ipsis difficilis, per quid à non volitione, sive nolitione negativa, quâ id negativè non vult impedire, ut positiva distinguatur, nisi ad nostram explicationem recurrant) ille concursus est tantum permissivus, & potius volitio applicativa per modum removentis prohibens quàm positivè applicans, hoc autem non sufficit; quia sicut Deus in actu secundo, non tantum omnia operatur per modum removentis prohibens, ita nec in actu primo; ut verò sit applicans positivè, aliud necessariò requiritur. Alii verò hoc modo, *volo tecum concurrere ad hunc actum, si tu hunc actum elicias; vel ad alium, si alium elicias; nolo concurrere, si nullum elicias.* sed, præterquam quòd hic modus pro secunda

parte distinctionis in difficultates præcedentis impingat; facit actionem creaturæ conditionatam, à Deo independentem, & concursus Dei in actu primo proximo à creatura dependentem, quæ sunt per absurdum; deinde illa explicatio reipsa, & in rigore veritatis, æquivalet huic, *volo concurrere, si concurrat*; quia nisi Deus concurrat, non elicies; illa autem explicatio non est explicatio, sed ridicula implicatio. Thomistæ denique communius volunt explicationem illam fieri per decretum Dei ex se antecedenter absolute efficax; sed quoniam modus hic per hoc à Scholasticis præcipue impugnatur, quòd videatur libertatem tollere, ob noverrima Pontificum decreta super sedeo; licet fortè periculum non sit de illis loqui in ordine ad actus naturales; quia præstat non loqui, quàm male loquendi periculo, in rebus gravis momenti, sine necessitate exponi.

D, V B I V M III.

An Concursus Dei in actu secundo ad effectus causarum secundarum sit immediatus.

XI. **D**Væ circa hoc dubium referri possunt sententiæ: affirmativa una, negativa alias; pro negativa citatur ordinariè Durandus in 2. dist. 3. q. 25. & Disp. 32. q. 1^a. Origenes lib. 7. Periarchon. teste S. Thomâ lib. 3^o contra gentes cap. 89. & sententiæ ejus suscitator Ludovicus à Dola Capucinus, qui pro illa citat Augustinum, Anselmum, & D. Thomam; à Scholasticis verò ex Ordine Minorum S. Francisci, Alensem, Bonaventuram, Scotum, Aureolum, Scotellum, Bonetum lib. 7. Theol. cap. 3. Palantherium; & ex aliis Hermacanum, Petrum Pomponacium, Reynierum de Pisis, & alios; sed maximè pro se citat Tridentinum sess. 6^a. canone 6^o. his verbis, *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari non permittit tantum, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Iude, quàm vocatio Pauli; anathema sit.*

XII. Pro 1^a ejus ratione adferri potest, quòd ex sententiâ affirmativâ Melancton & alii hæretici intulerunt proditorem Iude, & sic de omnibus aliis peccatis, esse proprium opus Dei, non minus, quàm vocacionem Pauli: Pro secunda verò, quòd sit contra sanctitatem Dei concurrere immediatè ad odium sui, & cætera peccata: quia hoc dato (ut fuscè probat) difficulter ostenditur, quomodo non sit peccator, causa & author peccati.

XIII. Tutior tamen & majoris autoritatis ac veritatis est affirmativâ. quòd tutior, patet; quia S. Thomas in 2^{um} dist. 37. q. 2. art. 2^o. docet, negativam esse proximam duobus erroribus, nempe quòd sint duo prima principia; unum bonorum, alterum malorum; & Deus non sit causa Universalis. Capreolus in 4. dist. 12. q. 1. ad 1^{um}. esse doctrinam Pelagii. Albertus Magnus in 2^{um} dist. 35. art. 70. à multis modernorum vocari hæreticam. Suarez lib. 10. de Concursu Dei cap. 4^o. n. 2. ab omnibus probatis Theologis non solum reprehendi; sed etiam ut errorem in fide rejici. Vasquez 1. 2. Disp. 129. cap. 3. n. 8. erroris nomine ab omnibus scholasticis jam diu esse rejectam, quòd verò majoris veritatis; præterquam quòd S. Bonavent. in 2^{um} dist. 37. art. 1. q. 1. dicat affirmativam absque omni ambiguitate esse tenen-

tenendam: & Suarez loco jam citato, affirmativam esse veram & certam doctrinam, in qua reliqui omnes prater Durandum conveniunt; statim probabitur. Quare si:

RESOLUTIO.

XIV. **D**ico, Deus immediate & proximè ad omnes actus nostros, & omnium causarum secundarum, sive pravorum, sive bonorum, concurrat.

XV. Probatur 1^o. ex Script. Ioan. 5^o. *Pater meus usque modo operatur & ego operor*: ad quem locum non rectè respondet P. Ludov. à Dola istis verbis solum refelli quorundam hæreticorum sententiam, qui dicebant Deum nihil amplius operari: quia nihil simile in illo capite, sed I E S V S obstruit os Iudæis murmurantibus, quod in sabbatho infirmum sanaret, dicens: *Pater meus usque modo operatur, puta omnia, & ego operor*. quasi diceret, Pater omnia operatur, & ego necessariò debeo Patri cooperari.

XVI. Item ex Ioan. 15^o. *sinè me nihil potestis facere*: nec rectius ad hunc locum, respondet 1^o. præfatus author, Christum Dominum ibi tantum loqui de operibus piis; nam textus verba sequentia manifestè aliud significant; postquam enim dixit, *sinè me nihil potestis facere*, subdit, *si quis in me non manserit* (subaudi, sed per opera præva v. g. odia Dei, ut infra, *qui me odit & Patrem meum odit, à me recesserit*) *mittetur foras, &c.*

XVII. 2^o. quod Respondet; si Christus loqueretur de concursu Dei generali ad omnes actus nostros, influentiam mediatam & remotam sufficere ad verificanda illa verba, & etiam verba Iaiæ 43^o. *servire me fecisti in iniquitatibus tuis*; patebit falsum esse infra ex probatione Resolutionis à ratione.

XVIII. Probatur 2^o. ex S. Augustino tom. 3^o. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20^o. ubi præmissis his Christi Ioan. 5^o. verbis, *Pater meus usque modo operatur & ego operor*, subdit, *Deum non magna solum, & præcipua in nobis operari; verum etiam ista terrena & infima.* & Epist. 146. quæst. 2^a. *quomodo negare poterimus Deum, etiamnum operari cuncta, quæ sunt, cum Dominus dicat, Pater meus usque modo operatur.* item ex Sancto Anselmo de Concordia gratiæ & liberi arbitrii cap. 1^o. *facit Deus omnia, quæ iustà vel iniustà voluntate sunt, id est, opera bona & mala: in bonis quidem facit, quod sunt, & quod bona sunt; in malis facit quod sunt, sed non quod mala sunt.* Vnde Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem, oppositum ostendit esse Pelagii, de quo ait, *Dicebat Deum, collato semel libero arbitrio, ulterius nobis ad operandum, non esse necessarium, ergo, &c.*

XIX. Probatur 3^o ex Divo Thoma in 2^{um}. Sentent. distinct. 37^a. quæst. 2^a. art. 2^o, ubi refert duas opiniones, quarum prima (quam sequitur distinct. 31^a.) docet, actus in quantum actus sunt à Deo esse, sed in quantum deformitatem habent, à Deo non esse, sed ab homine, vel Diabolo. Secunda (quam rejicit) docet actus peccatorum nullo modo, nec etiam in quantum actus sunt, à Deo esse, & de hac opinione dicit esse propinquissimam duplici errori, scilicet Manichæorum, quod sint plura prima principia, id est, agentia sinè cooperatione immediata (ut statim patebit) agentis prioris, quod verè fieret; & aliorum, quod Deus non sit causa Universalis & prima

omnium entium, qualis non esset, ut similiter statim patebit.

XX. Confirmatur ex eodem 3^o. contra Gentes cap. 70^o. sicut igitur non est inconveniens, quod una actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute, ita non est inconveniens, quod producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab utroque immediate, licet alio & alio modo, id est, à Deo tamquam causâ Universalis, & à creatura tamquam causâ particulari; ubi vides Sanctum Thomam expressè docere nostram sententiam; nec rectius, quam ante, Ludovicum à Dola parte 4^a. cap. 2^o. docere, nos ne quidem locum unum, ac testimonium alicujus Sancti Patris adducere, in quo expressissima mentio fiat concursus proximi, v. g. Dei, & actionis causæ 2^æ identificati ad singulos actus nostros.

XXI. Probatur 4^o. ex Sancto Bonaventura in 2^{um}. distinct. 37^a. art. 1^o. quæst. 1^a. ubi post multa addit, ideo hæc positio, quæ dicit omnem actionem esse à Deo secundum quod actio est, absque omni ambiguitate teneanda est; & art. 2^o. docet Deum conservare immediate omne ens positivum; ac proinde omnem actionem immediate ponere, ut rectè sequitur.

XXII. Probatur 5^o ratione, omnes Scripturæ, Concilia; & Sancti Patres, Augustinus, Thomas, Anselmus, &c. quos Ludovicus à Dola pro se interpretatur, item & Scholastici omnes, debent necessariò fateri, actiones creaturæ, tam pravæ, quam bonæ, eo modo esse à Deo, qui requiritur, ut Deus verè sit causa Universalis, primum principium seu primum movens: unde Augustinus tom. 3^o. lib. 5. de Geni. ad litteram cap. 20^o. ait, *Deum non magna solum, & præcipua in nobis operari, verum etiam ista terrena & infima.* quare Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem in hæc verba Pelagii: *audite sacrilegium, si voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, semper mihi auxilium Dei necessarium erit, acriter invehitur, ingratè, &c.* alioqui non salvaretur prima subordinatio causæ secundæ ad primam, quam (ut fatentur omnes) fides docet; sed ad id requiritur ut Deus immediate & proximè ad omnes actus nostros, & omnium causarum secundarum, sive pravorum, sive bonorum, concurrat, ergo, &c.

XXIII. Probatur minor, quia solummodò principium immediatum quo & proximum est vera causa, verum principium & verè movens, uti debet esse causa Universalis, primum principium, seu primum movens; quia ly *Universalis* additum causæ, ly *primum* additum principio seu moventi, non est particula alienans aut distrahens, sed potius approprians & contrahens, uti de ly *principali* additum causæ, supra diximus; imò dici potest, causam secundam & particularem, saltem quoad opera bona respectu primæ & Universalis, se habere instar causæ instrumentalis respectu principalis: neque ad hæc ullibi

XXIV. Respondet Ludovicus à Dola: imò parte 4^a. cap. 5^o. docet ex Divo Thoma, primum agens & immediatum agens idem omnino significare; quod maxime in nostra explicatione verum est, in ipsius, intelligendo per ly *primum* immediatum, falsum, ergo, &c. Probatur hæc major; quia remanente solo principio quo immediato & proximo actionis, non aliter se habet mediatum & remotum ad actionem, quam si numquam extitisset: sed si numquam extitisset, non esset vera cau-

la, verum principium, & verum movens, ergo, &c.
Hinc

xxv. Confirmatur Resolutio nostra ex Nysseni Concilii symbolo in quo canitur, quod Deus sit factor (utique immediate & proxime ex jam dictis) omnium visibilium & invisibilium: Nec satis facit quod dicit à Dola 4^a. parte cap. 7^o. Nyssenam synodum definire non potuisse propositionem, cujus contradictoria est in Tridentino supra definita v. g. Deum mala opera propriè & per se non facere: nam dici debet in Nysseno definiri solùm Deum opera mala immediate ut causam Universalem, ac proinde non propriè & per se, facere; in Tridentino verò definiri Deum mala opera non facere, tanquam causam particularem, ac proinde, nec propriè, nec per se.

xxvi. Probatur 6^o. alià ratione, si possent homines immediate & proxime producere suos actus naturales Deo ad eos immediate & proxime, non concurrente, possent & cetera causæ suos effectus naturales immediate & proxime producere, Deo ad illos proxime & immediate non concurrente, ac proinde Deus usque modò nihil naturaliter generaret, nec quidquam naturaliter genitum conservaret; cum per suam generationem, quæ immediate est à causa 2^a, conserventur, ut infra patebit; sed hæc non sunt conformia Scripturæ, Nyssenæ synodo & Patribus supra citatis, ad quorum auctoritatem salvandam docet à Dola Deum concurrere ad omnia opera creaturæ mediata, id est, inquit, dando & conservando ipsam causam, sive virtutem agendi; quod ut insufficiens ante rejectum est, ergo, &c. minor patet; probatur major à pari; non enim est major ratio unius, quàm alterius. Ex his

xxvii. Collige contra Hurtadum Disput. 10^a Physic. sect. 2^a. Arriagam hic Disput. 10^a sect. 1^o num. 17. & Ludovicum à Dola, per mediatum Dei influxum, sine immediato & proximo, non posse satis explicari allata supra Concilii & Patrum loca.

xxviii. Probatur 7^o. Deo debemus tribuere perfectissimum in actiones creaturarum dominium, quod possumus; sed perfectius est dominium immediatum simul & mediatum, quàm mediatum tantum, ergo, &c.

xxix. Respondet 1^o. Arriaga, perfectissimum Dei dominium sufficienter salvari in immediata Dei permissione tanquam conditione sine qua non absque concursu Dei immediato; ita ferè etiam Pater Poncius Physic. lib. 2^o. Disput. 38. quæst. 6. sed

xxx. Contra, illa permissio Dei immediata, vel est ex parte Dei immediate efficax volitio actionum creaturarum, vel immediate inefficax ex parte Dei? si primum, ergo includit concursum Dei immediatum, quia esse non potest immediate efficax ex parte Dei sine immediato Dei concursu, ut patet; ergo non salvatur perfectissimum Dei in actiones creaturarum dominium sine immediato Dei concursu: si secundum, ergo sicut ex parte Dei uno tempore est inefficax, sive in ordine ad productionem, sive in ordine ad destructionem actionum creaturarum; ita omni; quia Deus mutari non potest; ac proinde, sicut vi illius numquam produceretur, vel destrueretur effectus; ita vi illius numquam Deus habebit perfectissimum in actiones creaturarum dominium.

xxxi. Respondet 2^o. Ludovicus à Dola, nos non debere esse fatuos adulatorem Dei; neque debemus existimare majorem aliquam perfectionem fore in Deo, si possit omne opus nostrum propriè & per se operari, cum repugnet ita operari actus pravorum. sed

xxxii. Contra, si affirmetur non repugnare Deum propriè ac per se ut causam Universalem operari actus pravorum, sapienter Deo tribuitur, quod ipsi fatue negando, aufertur: sicut enim Deus, quia omniscius omnia visibilia Physica ante intellectum existentia, sive honesta, sive inhonesta, propriè, directè & eodem modo videt; ita Deus, quia est omnipotens, omnia producibilia Physica, quæ Physica & actus à malitia conditinctos, sive bona, sive mala, propriè, directè, & eodem modo producit: quomodo etiam, utpote Dominus perfectissimus omnium creaturarum, propriè, directè, & eodem modo omnia destruibilia Physica, sive bona, sive mala, destruere potest; cur enim unum propriè, aliud impropriè? aut unum directè, aliud indirectè? cum sit æqualis scientiæ, potentiæ, & dominii, in producibilia Physica quæ Physica & actus à malitia conditinctos, ergo unum & aliud potest.

xxxiii. Adde permissionem Dei non videri se habere ad actiones creaturæ, nisi per modum removens prohibens, in quo non satis salvatur dependentia creaturarum à Deo, sic ut ratione illius permissionis, quæ ut sic videtur negotio tantum volitionis efficaciter impediens, possit eas destruere immediate; imò nec mediata possit supposita veritate nostræ sententiæ, quod productiones substantiarum sint permanentes eorundem, desinentibus causis, conservationes qui autem hoc assereret, plus quàm Durandus assereret.

xxxiv. Probat 7^o P. Poncius, Deus determinat ad individuum cujuslibet speciei, quod produci debet; sed hæc determinatio importat concursum in actu secundo, ergo, &c. verum de hac probatione infra.

xxxv. Probat 8^o. P. Comptonus hic sicut infinita Dei scientia essentialiter postulat ut nulla res existere possit, quin eam Deus actu cognoscat, ita infinita ejus virtus productiva poscere videtur, ut nihil existere possit, quin illud Deus actu producat. Sed istud argumentum, ut jacet, nihil plane convincit; quia infinita Dei scientia extenditur ad malum quàm malum, peccatum quàm peccatum, ad quod infinita Dei potentia & bonitas extendi non potest.

Solutio Objectionum.

xxxvi. Obijcies 1^o. Tridentinum pro contraria sententia supra num. 11^o. scilicet, &c. citatum, & addes ex Suarè lib. 2^o. de concursu, cap. 2^o, & ex Ruiz de voluntate Dei Disp. 22^a. sect. 1^a, illud loqui, non de ratione formali malitiæ; sed etiam de materiali actione malorum operum, 1^o, quia aliqui dixisset, sed malitiam operum, ita ut bonitatem Deum operari; & non sed mala opera, ita ut bona Deum operari: præsertim cum soleat exactè loqui, & unum sit æque facile dictum ac aliud; 2^o, loquitur de operibus malis eo sensu, quò ibidem dicit, ea esse in potestate hominis, ac proinde quoad actionem & malitiam. 3^o, quia aliqui definitio Concilii, præter intentum, nihil concludit.

cluderet contra Calvinum, Lutherum, Zwinglium, Bezam, Melanctonem, & alios istius temporis hæreticos, qui (ut fuse probat Ruiz loco citato sect. 2^a) ita se explicant, ut Deus non velit, neque causet, neque necessitet ad malitiam, neque ad actionem in quantum est peccatum, sed solummodo ad materialem actionem peccati, in quantum est ens & bona, ita Zwinglius in sermone de Prov. c. 5^o. *Namen ipsum author est ejus, quod nobis injuria est, illi verò nullatenus injuria est;* & Melancton inter definitiones suas Theologicas, firmissimè & tamquam utrâque manu tenenda est sententia, *qua negat Deum ullo modo esse authorem peccati;* cum tamen dixerit in annotationibus in Epist. ad Roman. cap. 9^o. *etiam quæ mala sunt, esse propria Dei opera;* utrique quoad actionem, & non quoad malitiam; alioqui clarum est Deum fore authorem peccati.

xxxviii. Respondeo 1^o. Concilii definitionem, objecto sensu, non posse admitti, nisi velis sententias Sanctorum Augustini, Anselmi, Thomæ, Bonaventuræ, & Scotistarum; omnium Thomistarum; & PP. Societatis communiter, in eo damnare hæreticos, quod plusquam temeraria esset: unde de eo recusat ferre sententiam vel ipse Ludovicus à Dola.

xxxviii. Respondeo 2^o. Concilium etiam Ludovicum à Dola, & illos, quos sequitur, premere; nam docet opera mala mediate, id est, solum permissivè, & per aliud, ut explicat parte 4^a. cap. 2^o; ita ut bona (nam etiam docet hæc fieri mediate) Deum operari; in Tridentino tamen dicitur, *si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, anathema sit.*

xxxix. Deinde quæro ab ipso, quid Concilium intelligat per *ly proprie & per se*? si intelligat concursum immediatum; ergo ad opera, ad quæ proprie & per se ex Concilio concurrat, immediate concurrat contra ipsummet Ludovicum à Dola; si mediatum, iterum contra à Dola sequitur, Deum ad opera mala veluti ad bona mediate (ut docet) concurrere, quod anathematizat Concilium negans de operibus malis, quod de bonis affirmat. Pro Responsione tertia,

xl. Adverte, concursus Dei assignari debere duplicem, unum Dei, ut causæ Universalis, alium Dei ut causæ particularis; concursus autem Dei ut causæ Universalis est omnipotentia Dei applicata causæ secundæ per voluntatem, in quantum requiritur ex parte causæ primæ & Universalis, efficaciam ad concurrendum cum illo ad omnes ejus actiones, juxta ejus inclinationem & naturam: concursus verò Dei ut causæ particularis est eadem omnipotentia applicata causæ secundæ per voluntatem, quantum requiritur ex parte causæ primæ, efficaciam ad concurrendum cum illa ad suas actiones, & dando ei motiones particulares ad illas inclinantes, & auxilia oportuna ut fiant: 1^o concursu concurrat Deus immediate ad omnes actiones causarum secundarum, sive bonas, sive pravas; 2^o, non nisi ad bonas. Hoc itaque præmissis,

xli. Respondeo 3^o contra Arriagam, Oviedum, Poncium & alios communiter, Concilium quidem intelligi etiam de materiali actione malorum operum, & non solum de formali malitiæ, adhuc tamen contra Ludovicum à Dola, & ejus Patronos, Deum concurrere immediate ad omnes actiones, sive pravas, sive bonas, omnium causarum secundarum;

nam Tridentini (quod contra nos maxime urget) est hic sensus, *si quis dixerit non esse in potestate hominis (puta attento concursu Dei ut causæ Universalis) vias suas malas facere: sed mala opera (puta per concursum causæ particularis) ita ut bona Deum operari, non permissivè solum (puta attento concursu particulari, qui in ordine ad illa non datur) sed etiam proprie & per se (puta ratione concursus causæ particularis) adeo ut proprium ejus opus non minus sit proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, Anathema sit.*

xlii. Adde hanc explicationem esse Tridentino conformem, clarè erui ex hæreticorum erroribus, qui ibi anathematizantur; dicitur enim 1^o, *si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere;* 1^o. contra Bezam in refutatione secundæ calumniæ Castellionis, *non potuerunt resistere Dei voluntati* (scilicet qui injustè fecerunt) id est decreto, fateor: 2^o. contra Calvinum lib. 3^o. institut. cap. 23^o. ubi docet, *reprobis ex Dei ordinatione injici peccandi necessitatem:* 3^o. contra Lutherum apud Ruardum lib. 7^o. de libero arbitrio fol. 357^o, *quomodo potest liberum arbitrium se ad bonum preparare, cum neque in potestate sua habeat vias suas malas facere;* item apud Rosenfem fol. 341^o. usque ad 345^{um}. fratres Ioseph, *omnes cogitaverunt eum occidere, & ecce ipsa cogitatio à Deo non erat in eorum arbitrio:* 4^o. contra Lutherum iterum, Melanctonem & Buiserum apud Sotum lib. 1^o. de Natura & gratia cap. 17^o. sed ajunt, *quod quamvis omne peccatum voluntate committatur, non tamen omne sit liberè.*

xliii. Dicitur 2^o. *sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed proprie & per se, &c.* 1^o. contra Melanctonem in annotationibus in Epistolam ad Roman. nos verò docemus non solum permittere Deum creaturis ut operentur, sed ipsam omnia proprie agere (id est concursu causæ particularis) sicut fatentur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fatemur Dei propria esse, &c. quæ mala sunt, ut Davidis adulterium, &c. constat enim Deum omnia facere, non permissivè (puta attento concursu causæ particularis, quod in Tridentino damnatur) sed potenter, id est sic ut sit ejus propria. Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio: 2^o. contra Calvinum lib. 1^o. institut. cap. 17^o. *demonibus digitum movere non possunt, nisi quantum Deus mandaverit* id est nisi quantum Deus ut causa particularis concurrerit, quod in Tridentino damnatur & infra §. 4. *Deus obstinatione pectus Pharaonis obfirmandum mandavit:* & in antidoto ad præfatum locum Trident. ait, *sed permissivè tantum Deum agere in malis, cui persuadeant?* nisi illi qui totam Scripturæ doctrinam ignorat.

xliv. Quod verò *ly permissivè* debeat intelligi per respectum ad concursum particularem (cujus sit privatio) ita tamen ut includat concursum generalem.

xlv. Probatur 1^o. quia in Concilio *ly proprie & per se operari* opponitur *ly permissivè solum operari;* propriè verò operari juxta rectam rationem & mentem Concilii, ut colligitur ex *ly ita ut opera bona;* item secundum hæreticos præfatos, est operari ut causa particularis, sive concursu causæ particularis, dando auxilia oportuna, mandando, impellendo, &c. permissivè verò tantum est operari ut causa Universalis, sive concursu causæ Universalis, non dando auxilia oportuna, non mandando, &c.

XLVI. Probatur 2^o. ex S. Augustino lib. 10. ad Simplicianum quæst. 2^a. *obduratio Dei est nolle misereri ut non irrogetur aliquid* (puta auxilium particulare, &c. mandatum, ut volunt irrogari hæretici quos damnat Tridentinum:) *sed tantum quo* (scilicet concursus causæ particularis) *sit melior, non erogetur*: unde 1^o ex his patet definitionem Concilii multum concludere contra citatos, & alios istius temporis hæreticos. 2^o falsum esse, quod aliquoties Ludovicus à Dola nobis ipsi aduersariis, parte 4^a cap. 9^o. ex Suario imponit, videlicet nos docere Deum operari omnia opera nostra *verè, propriè ac per se*, cum tamen dicamus expressè, operari immediatè & proximè non esse operari propriè ad mentem Trident. id est, ita ut taliter operanti verè moraliter attribuaturs actio; unde consequenter volumus Deum opera mala, etiam quoad entitatem Physicam & actionem, non operari *propriè & per se*, sumendo ly *propriè & per se* pro *ut causa particularis*, quomodo ad mentem Concilii causam particularem hucusque explicuimus (ea tamen ut sic operari *propriè & per se*, Physicè sumendo ly *propriè & per se* pro *ut causa vniuersalis*, infra probabimus;) quia alioqui non satis apparet quomodo non esset author & causa malitiæ eorum, maximè, intrinsecè malorum, sicut dicitur esse author & causa bonitatis bonorum operum, maximè, intrinsecè bonorum.

XLVII. Obijcies 2^o ex Ludovico à Dola parte 4^a, cap. 10^o. testimonia Scripturæ, quibus ostenditur Deum odisse iniquitatem, nec mentiri, nec seipsum negare posse, & alia ejusmodi, apertè clamant eum non posse coefficere nobiscum actionem ullam intrinsecè malam, atque ex objecto turpem, ergo, &c. probabis consequentiam ex eodem ibidem; quia implicat Deum aliquid agere contra rectam rationem, infinitam ejus sanctitatem & amorem, quo seipsum prosequitur; sed hoc fieret liberè & voluntariè concurrendo & per eandem creaturæ actionem, ad actionem creaturæ intrinsecè malam, ergo, &c.

XLVIII. Respondeo distinguendo majorem, testimonia Scripturæ, &c. apertè clamant, Deum ut causam particularem, ac proinde *propriè & per se*, ad mentem Concilii non posse coefficere nobiscum ullam actionem intrinsecè malam, concedo majorem; ut causam Vniuersalem tantum, ac proinde permissivè solum attento concursu causæ particularis (qui solus in permissione attendi potest; quia concursus causæ Vniuersalis in actu primo paratus, est unum è prærequisitis ad agendum; & qui unum è prærequisitis ad agendum suspenderet vel negaret, non censeretur actionem permittere, sed antecederet impedire,) nego majorem, & consequenter etiam consequentiam: ad ejus verò probationem proportionaliter distingue majorem: nec tamen putes Deum rem intrinsecè malam ut causam Vniuersalem efficere, magis esse contra rectam rationem, infinitam ejus bonitatem & amorem, quo seipsum prosequitur, quàm ipsum esse causam primam & Vniuersalem, ac tam perfectum Dominium in omnes omnino creaturas habere ac fieri potest, quàm causas secundas esse in agendo Deo subordinatas, &c. quæ omnia videntur de fide, & clarissimè colliguntur ex Scriptura: imò, sicuti est de necessitate essentiae divinæ causare immediatè res omnes, & tam perfectum dominium in illas habere ac fieri potest; ne alioqui, sicut pos-

set modò perfectius, sive immediatè; modò imperfectius, sive mediatè tantum, illas causare; modò perfectius, modò imperfectius dominium in illas habere; ac proinde interdum immediatè non causare, & interdum directum dominium in illas non habere; ita posset modò perfectius, sive immediatè, modò imperfectius, sive mediatè tantum res existentes videre, ac proinde interdum immediatè videre & interdum immediatè non videre, & ignorare, item posset modò perfectius sive immediatè per se, modò imperfectius sive mediatè per aliud, id est mediantibus creaturis, esse in omni loco, ac proinde interdum non esse immediatè per se in omni loco, & sic de aliis attributis discurre, quæ sunt contra rectam rationem, infinitam Dei scientiam & immensitatem, nec habent ullum prorsus fundamentum in scriptura. Ex his

XLIX. Rejice sententiam Ludovici à Dola, & confirma nostram hoc modo: si secundum te potest Deus cessare efficere immediatè per se omne ens realiter existens; & proinde de facto immediatè per se non efficiat omne ens realiter existens: potest & cessare videre immediatè in se omne ens realiter existens, & proinde de facto immediatè in se non videt omne ens realiter existens: item potest & cessare esse immediatè per se in omni loco; hæ sequelæ videri possunt hæreticæ; deo autem ex quo sequuntur judicet Ludovicus à Dola.

L. Nec dicat, primum fundari in sanctitate Dei infinita, & necessariò dicendum, ne alioqui immediatè coefficens rem intrinsecè malam sit peccator & culpabilis, non secus ac Herodes, qui Joannem decollavit invitus ac tristis ad exigentiam saltatricis: nullum verò esse fundamentum secundi & tertii, ac proinde nec dicenda.

LI. Contra enim est quòd infinita Dei bonitas non pugnet cum infinita Dei potentia, & perfectissimo ejus in creaturas dominio, quæ id exigunt, non secus ac Dei visio intuitiva, & immensitas exigunt, quæ supra: neque hinc sequitur Deum coefficientem ut causam Vniuersalem rem intrinsecè malam, esse peccatorem & culpabilem; quia ad eam non concurrat liberè, uti Herodes ad dictam decollationem; sed necessariò, ex necessitate 1^æ causæ, absoluti domini, &c. ut supradictum est: unde similiter supremus Angelus ex natura sua determinatus (si talis daretur) ad concurrendum simul cum inferioribus proximè & immediatè ad omnes earum actiones, non peccaret, etiam coefficendo actus intrinsecè pravy, magis quàm agens necessarium; secus si ex natura sua indeterminatus, de quo tantum Lud. à Dola loco citato num. 10^o, quare nihil concludit.

LII. Obijcies 3^o. ex eodem p. 4^a. cap. 15^o. sicut nihil derogat infinitati & perfectioni essentiae Dei, quòd creaturæ sint aliquid à Deo diversum, habeantque essentiam & existentiam, quæ non possunt identificari cum essentia & existentia Dei; ita nihil derogat infinito, & supremo Dei dominio in omnem creaturæ operationem, quòd operatio creaturæ distinguatur realiter à cooperatione divina, ergo, &c.

LIII. Respondeo esse disparitatem; quòd 1^{um} necessariò fieri debeat, ne alioqui Deus sit lapis, & lapis Deus, & sic de aliis creaturis; 2^{um} verò implicat contradictionem, non secus ad Deum non

non esse tam perfectum Dominum omnium creaturarum, ac fieri potest, qualis non esset; quia non haberet dominium immediatè in operationem creaturæ; unde

IV. Dic contra P. Poncium lib. 2^o. Physic. Disput. 38. q. 6. Deum ad actiones creaturarum concurrere per eandem, per quam concurret creatura, actionem, alioqui (præterquam quod sit expressa sententia Divi Thomæ de pot. quæst. 3. art. 7. ad 3. ipsa natura operatio est etiam operatio virtutis divine.) actio creaturæ, vel à Deo non egredieretur, vel ad summum penderet à concursu Dei realiter à se distincto tamquam à conditione sine qua non: 1^{um} est Ludovici à Dola sententia totà hac Resolutione rejecta. 2^{um} verò est contra P. Arriagam num. 29. impugnatum. hinc tamen illegitimè inferes Deum propterea pendere propriè in agendo à creatura, id est, ex quadam indigentia creaturæ & defectu virtutis; quasi verò non posset se solo effectum ponere, si vellet; sed ex natura ipsius actionis, videlicet, quia talis est, ut non possit, utpote ultima determinatio talis agentis, videlicet Dei & creaturæ, esse ab alio agente, vel partiali, vel totali, quàm Deo & creaturæ.

DUBIUM IV.

An non solum Deus simul concurrat cum Causis secundis, sed eas etiam ad agendum per præviā qualitatem in illis impressam præmoveat ac prædeterminet.

ANTE Resolutionem
IV. Suppono, præmotionem, sive prædeterminationem, Physicam dari, distinctam à concursu simultaneo; quæ Physicè & realiter ponit & imprimat aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum & applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimæ determinationis & applicationis actus primi ad secundum. ita communiter (inquit P. Ioannes à S. Thom. hic quæst. 25^a. art. 2^o.) schola Divi Thomæ & ejus discipuli, tam recentiores, quàm antiqui. Verùm PP. nostri Complutenses obscuritatem aliquam adjiciunt 1. p. Tract. 4^o. Disput. 10^a. Dub. 4^o. §. 2^o. ubi ferè per totum docent præmotionem, prædefinitionem & prædeterminationem non tollere quominus voluntas se per consilium & deliberationem determinet. quomodo igitur ultima determinatio & applicatio, si relinquat in voluntate condistinctum (de qua ibi, quia consilii & deliberationis) determinationem per consilium & deliberationem? hæc enim ex mente horum Complutensium potius est ultima determinatio & applicatio; illa verò penultima, ut satis insinuant per hæc verba, non est contra rationem causæ liberæ, quod determinetur ab extrinseco per priorem illam determinationem, quæ realiter præcedit actum secundum, quando illa determinatio est talis naturæ ut non tollat quominus ipsa voluntas liberè se applicet & determinet per consilium & deliberationem, &c. Hæc certè difficulter ab ipsis conciliabuntur; supponamus enim actum secundum, ad quem est præmotio, esse primum actum consilii & deliberationis, quem causa libera elicit; tunc manifestè sequitur, præmotionem illam non esse ultimam determinationem & applicationem; quia præcedit consilium & deli-

berationem, quæ per ipsos est determinatio & deliberatio, quæ voluntas liberè se applicat & determinat. Vnde vel PP. nostri Complutenses incidunt in sententiam adversariorum suorum, qui ultimam determinationem voluntati creatæ relinquant, vel se non satis explicant: quare in relatione P. Ioannis à S. Thomæ sistimus, & juxta illam circa dubium

IV. Duæ sunt celeberrimæ sententiæ; prima quidem negativa Nominalium, Ochami in 1^{um}. distinct. 6. voluntas nullo variato ex parte sua nec ex parte cujuslibet alterius (nota) habet in potestate sua, ita non producere, sicut producere. idem ferè repetit etiam in 1^{um}. distinct. 38. quæst. unica circa principium: eadem etiam ferè verba habent Gabriel in 2^{um}. distinct. 25. quæst. unica, circa initium & Gregor. Arim. in 1^{um}. distinct. 10^a. quæst. unica art. 2^o. Item Marsilii in 2^{um}. quæst. 16. art. 4^o. causa determinans ad hanc volitionem est sola voluntas, nunc acceptans; quod antè non voluit acceptare, eisdem existentibus impellentibus: Majoris in 2^{um}. distinct. 25. quæst. 3^a. circa finem, voluntas vult hoc obiectum; quia & placet, & sua libertate ad hoc se determinat; neque querendum est aliud ab ea, per quod se determinat; sed sicut calor naturaliter calefacit; ita voluntas liberè vult: Eximii P. Magistri nostri Bachonis clarissime in 2^{um}. distinct. 25. quæst. 1. art. 1^o. igitur ex opposito, si voluntas ratione suæ libertatis est domina suorum actuum, in quantum libera à nullo alio à se procedit in actum, id est determinatur ad actum. Et distinct. 26. quæst. 1. art. 4^o. pro quacunque hora voluntas non potest indifferenter exire in ea, quæ sunt ad finem, non est domina sui actus, ac per consequens non libera libertate arbitrii. Bachoni ad stipulatur etiam noster Waldensis doctrinalis fidei lib. 10. art. 1^o. c. 25^a. ubi ab arbitrii libertate removel omnem necessitatem ab extrinseco, quæ non sit in potestate nostra. Etiam est Scotistarum post Scotum in 4^{um}. distinct. 1. quæst. 1. & PP. Societatis, de quibus sic scribit P. Oviedus Physic. contr. 10^a. p. 3. tota Societatis schola qualitatem hanc totis viribus rejicit: utriusque scholæ Doctores abundè apud quemlibet reperies; ideo nullum refero: tantum moneo nullum ex nostræ Societatis auctoribus non illam abundè impugnasse: ex illustrissima verò Dominicorum familia nullum, ante Bannez, qui hujus prædeterminationis fuit primus parens, illam docuisse, & post hunc illam abjurasse Alvelda Disput. 58. & Disput. 6. membr. 2. & M. Fr. Laurent. Gutierrez vir miro ingenio præditus, excellensque doctrinâ, vehementer semper hanc prædeterminationem stomachatus est. Nec his malè additur Capreolus in 1^{um}. distinct. 24. quæst. unica art. 3^o. voluntas ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante. & 45^a. quæst. unica voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet ut velit, vel non velit, determinatur à seipsa.

LVII. Secunda sententiâ est affirmativa ferè omnium Thomistarum, quam PP. nostri Complutenses dicunt esse communem inter antiquos Philosophos, ac inter Thomistas, tam antiquos, quàm recentiores. idem ferè testantur Ripa ad quæst. 19. 1. p. art. 8. dub. 1. cap. 3. Nazarius 1. p. quæst. 22. art. 4. contr. 1^a. & Alvarez de Auxiliis disp. 18. à n. 10. qui verius, an hi, an P. Oviedus statim à authoribus suis relinquo.

LVIII. An præmotio Physica consistat vel non consistat cum libertate creata, ob decretum Apostoli.